



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **XINOTEGANA***PRAELATURA

XINOTEGANA AD DIOECESIM ORDINEM PROVEHITUR Quod Praelatura Xinotegana, quam cognomini regione in Nicaragua Litteris Nostris « Libenti quidem » die XVIII mensis Iunii anno MCMLXXXII constituimus, iam nunc videtur eo progressionis pervenisse, ut et digna iudicetur, quae in dioeceses ascribatur, Nos iure ac merito censemus eiusmodi preces a Conferentia Episcopali Nicaraguana Sanctae Sedi dudum adhibitae audiendas etiam esse.

Quapropter, in idem consentiente respecta mente Venerabilis Fratris Pauli Giglio, Archiepiscopi titulo Tyndaritani atque in Nicaragua Nuntii Apostolici, de ipsa Congregationis pro Episcopis sententia, quam ratam facimus, deque potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute memoratam Praelaturam ad gradum honoremque dioecesis Xinoteganae evehimus, iisdem servatis finibus ipsius olim Praelaturae propriis eademque in urbe, quam « Xinotega » dicunt, dioecesana Episcopi sede sita, cuius praelaticium templum Deo in honorem Sancti Ioannis Baptistae dicatum ad dignitatem Cathedralis templi attollimus, ita ut et iuribus et privilegiis dehinc fruatur, quae ad cetera eiusdem ordinis templa pertinent. Novam nunc conditam dioecesim Metropolitanae Ecclesiae Managuensi suffraganeam confirmantes, metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore Managuensis subicimus Episcopum pro tempore Xinotegantum, cui honores insignia privilegia iuraque tribuuntur, onera etiam et officia imponuntur, quibus singulis astringuntur Episcopi dioecesani. Ut novae dioecesis Pastori, quem iam nulle Christifidelibus adstantem Xinotegantis Episcopum Praelatum Petrum Lisimacum Vélchez Vélchez confirmamus, auxilium praesens feratur in munere exercendo, Collegium Consultorum ad normam iuris communis constitui volumus, aut renovari, si ita expedit. Tum Curiae emolumentis ac Fidelium stipibus, tum alimentis ad Praelaturam hactenus pertinentibus ipse Episcopus nunc dioecesanus congrue sustentetur. De Seminarii dioecesani aedificatione, deque ephelis ibi instituendis vel formandis, ea servantur communi iure sancita, normae etiam a Congregatione de Institutione Catholica propositae retineantur. Selecti vero tirones, qui sint philosophicis et theologicis disciplinis plene instruendi, sicut sacerdotes quibus altiora fuerint studia complenda, ii ad Pontificium mittantur Collegium Pium Latinum Americanum in Urbe situm. Utque ad suam dioecesim clerus loci pertineat, statuimus proprium novae Ecclesiae Xinoteganae eundem clerum illum habendum esse, qui Xinoteganae olim Praelaturae adscriptus iam esset. Quod dein ad dioecesis regimen, ad gestionem bonorum ecclesiasticorum, ad Administratoris dioecesani electionem sede vacante attinet, necnon ad onera iuraque Christifidelium, omnino standum est legibus canonice statutis. Ad ea denique ad effectum adducenda, quae hic iubentes decrevimus, memoratum deputamus Venerabilem Fratrem Paulum Giglio, necessariis et opportunis facultatibus factis, illa quoque eiusmodi officium delegandi alii viro in ecclesiastica dignitate constituto, onere addito curandi ut certum verumque de acta re litterarum exemplum Congregationi pro Episcopis cito mittatur. Quas Apostolicas Litteras Nostras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis non obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo

nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

| | |
|--|--|
| ANGELUS SODANO, archiep. <i>Prosecretarius Status</i> | BERNARDINUS card. GANTIN <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i> |
|--|--|

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXIII (1991), n. 8, pp. 640-641 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana